

Kreis  
Steinfurt

S 102

1281 [vor Juli 13].

[9

Der Edle Baldwin von Steinfurt verkauft dem Bocholter Bürger Wilhelm Hölwege drei Höfe im Kpl. Malt, Gelderland.

Nos iudex et consules civitatis Bocholte notum facimus omnibus presentia visuris, quod constitutus coram nobis in civitate Bocholte nobilis dominus in Stenvordia, Baldwinus nomine, vendidit domino Wilhelmo dicto Hölwege, concivi nostro, bona sua videlicet curtem dictam Ahof, curtem dictam Honhof et curtem dictam Bardinhof sitas in parrochia Aleten, uxoris sue domine

Elisabeth, filii sui Ludolfi et filiarum suarum consensu et voluntate, pro centum et viginti quinque marcis ipsumque infeodavit eisdem bonis coram nobis, hoc tamen interposito pacti tenore, quod idem nobilis de Stenvordia prefata pecunie summa dicta bona omni festo Margarete virginis infra quatuor annos redimere potest. Illi quidem quatuor anni instant in instanti nunc festo virginis memorate, sibi ad id facultate concessa. Etiam hoc interposito, quod nec iidem domini de Stenvordia nec noster concivis dominus Wilhelmus infra dictos quatuor annos in dictis bonis faciet petitionem vel exactionem; etiam si aliquem hominum in dictis bonis commorantium infra dictos quatuor annos contingeret mori, tunc idem nobilis de Stenvordia et dictus noster concivis dominus Wilhelmus herewadia dividunt pari sorte. Item si idem dominus in Stenvordia dicta bona debito tempore redimeret, tunc dictus noster concivis dominus Wilhelmus dabit viginti quinque marcas usquam pro aliis bonis et donabit ea dicto domino de Stenvordia et ea in feodo nomine homagii suscipiet a manu sua. Item si dictus dominus in Stenvordia dicta bona non redimit termino sibi prefixo, dictus noster concivis dominus Wilhelmus possidebit bona a dicto domino Stenvordie nomine homagii sibi collata libere et quiete, postpositis exceptionibus universis. Ut autem premissa permaneant immutata, consensu concivis nostri domini Wilhelmi presentem paginam sigillo nostre civitatis sepedicto domino in Stenvordia contulimus roboratam. Datum anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LXXXI<sup>o</sup>.

Abſchrift Qb. S. 21.